

No 2
No 3

5

PRORECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
GEORGIUS ERNESTUS
STAHL,
MED. D. EJUSDEMQUE ET RERUM
NATURAL. PROF. PUBL. ORDIN. ATQUE
ACAD. NAT. CUR. COLLEGA,
una cum
PROFESSORIBUS RELIQUIS
CIVES ACADEMICOS
AD
FERIAS NATALITIAS,
pie celebrandas,
OMNES AC SINGULOS e.
decenter hortatur.

PROLOGOIOR
AEDIFICIA
GEORGII STRÆTUS
SATHI
MERU BISSEMUND TE RERUM
NATURÆ TOTIUSQ; ADOCTO
ACER NIT CER CORVOL
PROLUSORIATIARUM
CIAES ACVÆMOS
AD
RERUM NATURÆ
OMNES ACVINCULOS





Lluxit rursus illa dies, qua per totam Ecclesiam resonat suauissimum il-
lud Apostoli effatum: ἐπεφάνη χριστός
ἐπεφάνη χριστός αὐθεωτοῖς, παι-
δεσσαῖς οὖταις, affulxit gratia Dei, salu-
tisera illa, omnibus hominibus, nos eru-
diens, ut impietate mundanisque cupi-
ditatibus abnegatis, sobrie, et iuste, et
pie viuamus in praesenti seculo. Tit. II,

II. 12. Non jucunda minus, quam grauis, haec Apostoli vox est.
Jucunditatem efficit gratiae, quam prædicat, magnitudo; gravi-
tatem ipsa scopi, quem magna haec gratia intendit, grauitas. Et
quidni jucunda & suauissima esset res, quam ipsa nominis sui
suauitas commendat? Quid enim ipso GRATIÆ nomine esse
potest gratius, quid salutarius? Est quidem DEI, gratiae fontis,
nomen nomine hoc multo augustius; neque minus prærogati-
vae habet REGIS appellatio, præea, quam is præstat, gratia. Sed
neque Rex aliquis hujus mundi, neque Deus ipse, nobis gratus
est & acceptus, nisi sub gratiae nomine consideratus. Terret,
non recreat, omnis maiestas, siue Dei, siue magni Regis: gratia
autem vtriusque maiestatem amoenissima & amabili reprezentat
facie. Dei maiestas infinita quantum superat illam maiestatis um-
bram, qua hujus mundi Principes coruscant; tanto major gratiae
diuinæ præ humana est excellentia. Neque obscura haec hujus
excellentie notatio in verbis Pauli. Vocat enim hanc gratiam
σωτήριον, salutarem, respiciens ad ipsum Σωτῆρα, ad Saluatorem
optimum maximum, Jesum Christum, omnis σωτηρίας fontem.
Ex quo ut omnes hauriant χριστὸν αὐτὸν χριστοῖς, gratium pro gra-

tia, seu dona gratiae cumulatissima, patesfacta ejus uniuersalitas invitit; siquidem omnibus in uniuersum mortalibus destinata paraque est gratia. Quod ut agnoscatur, ipsa illucescit illis, qui in peccatorum tenebris herent, iis lucem offerens, & cum luce libertatem spiritus. Videmus ergo, summae suavitatis vocem esse in asserto Paulino. Quis enim abhorrebet gratiam, eamque salutarem? quis, quod omnibus patet, non etiam ipse adiret? quis, in tenebrarum horrore positus, non gratissimam almae diei lucem admitteret?

Sed non minus *grauitatis* continet hoc Apostoli oraculum in scopo suo, quem pro indole sua, itidem grauissima, intendit. Hec enim est παιδεύσα, παιδευτικα, nos castigans seu corripiens, & erudiens. Utramque hanc notionem una ista voce exprimi, rei ipsius ratio nos dubitare haud sinit. Nam gratia disciplinam exercet, nos edocetura. Jam vero yix illa unquam humana disciplina locum habuit, in qua institutioni non interdum saltem jungenda fuerit correptio. Utrumque eo magis conjungit gratiae disciplina, quo minus alterutro carere potest corruptissimus animae nostrae status. Etenim non solum omni vere sapientiae, pietatis ac virtutum habitu penitus destituti sumus, sed etiam tenebris horrendis, vitiorumque amori ac miseriis summis, lubenter inherere solemus, & quidem jam subinde moniti conuidique. Quales quando in disciplinam suam Dei recipit gratia, non potest non erudiendi initium facere a *castigatione*, eamque idemtiter repetere; immo, quando instituenti ducentique morem gerere detrectamus, eandem etiam acuere, ut contumacia missa, ac torpore excusso, prompti atque assidui a magistris hujus nutu pendamus. Hic vero quo tendat, aut quid imperet, obscurum haud est. Solidam περάνοιαν nostrique πεταπόρων, necessarium mentis nostrae mutationem seu transformationem, efflagitat, eandem, nobis haud renitentibus, ipsa effectura. Et haec existit, si, ut supra citata Apostoli verba habent, *impietate, das ungöttli.* *Wesent abnegata, prauisque bujus seculi cupiditatibus spretis* ac refrenatis, viuamus σωφρόνως, τῷ διυτίᾳ, τῷ ἐντεβῶς, sobrietatis seu temperantie, iusticie ac pietatis studio deditissimi. Hæc gratiae erudientis indoles, hic ejus scopus fructusque est saluberrimus! Hæc sunt criteria, evangelicæ confessionis nomine digna!

digna! Hic transitus e potestate Satanae ac tenebrarum, in Christi regnum, lucisque consorum! Sic tandem itur ad astra, aut potius ad beatas *vere eruditorum*, quales hoc sensu soli sancti sunt, sedes! Ex hac scopi consideratione per se innotefecit, quam foedus iste error sit, qui gratiam *σωτήριον* cum vita *ἀστοῖς*, Christum cum Beliale, & cum luce tenebras, aut justitiae speciem cum injustitiae studio conjungit; aut veri rectique etiam specie omni deposita, in omnem impietatem solutus, Christum ejusque Euangelium afficit ignominia, nec tamen erubescit de ejus nomine vocari, aut aliquam in ipsis merito fiduciam (quae vefana potius est temeritas) collocare. Nesciunt hoc Euangelium, cujus centrum est in peccatorum patrocinio, sacræ litteræ. Nescit Christus cum Apostolis; immo potius & ipse & per hosce grauisse detestatur. Pauli vocem modo audiuius. Non aliam ille, nisi quæ castiger & erudit, bellumque voluptatibus indicat, nouit ac commendat gratiam, nobis salutarem. Non adstruetum, sed destruetum, venit Christus opera diaboli, peccata, conscientiam vastrantia; ut perhibet Johannes Ep. I. c. III, 8. Hic fuit scopus *ἱσταγόνωσεως*, natuitatis, & quæ eam infecuta est, redemtionis Iesu Christi. Universum peccati statum, adeoque non minus dominatum, quam reatum ejus, impugnat gratia, utrumque expugnatura, si admittatur. Non nisi hoc ordine fit *σωτήριος*, seu *salutifera*. Nec per rerum naturam summe contraria hæc coalescere possunt, *σωτηρία* & *ἀστοῖς*. Quo quis *ἀστοῖς* fuerit manet reminentior, eo a salute ejusque auctore permanet alienior, certo certius aeternum periturus.

Hæc quorū pertineant, *Cives Academicī*, vobis procul dubio in promtu est colligere. Vobis ipsis hæc dicuntur, quæ ut dicantur, presentis festi ratio postulat. Celebramus enim illud festum, quo Σωτῆς, ipse *Saluator*, & in ipso χάρις *σωτήριος*, *saluifera gratia*, jam dudum uniuersō mundo illuxit, & in eo omnibus in hunc usque diem illucescit, seu splendorem suum salutiferum offert, unumquemque e tenebris ad lucem productura. Utinam vero nobis non repetendum esset cum gemitu illud Joannis c. I. v. II. *Venit in sua, & sui ipsum non recuperunt*. Item c. III. v. 19. *Lux quidem venit in mundum, sed homines dilexerunt tenebras magis, quam lucem; erant enim opera ipsorum mala.*

Quæ quantopere in vos, in vestrum statum, à luce alienum, ve-
straque tenebrarum opera, conueniant, tristis experientia testa-
tur, neque vos ipsi ignoratis. Non quidem diffitemur, esse in-
ceteru vestro frequentissimo bene multos lucis filios; esse in-
omnium Facultatum scholis, qui nec Christi, ejusque gratiæ eru-
dientis, disciplinam detrectent, ita ab ore nostro pendentes, ut
simil Christi, Doctoris optimi maximi, jussa capeant, abnegati-
aque impietate pietatis studio operam suam nauent; saltem ab
eodem proprius absint, seu non abhorreant, gratiæ ac lucis spiri-
tualis uiram subinde fidelius admisuri. Et hi uti Dei sunt aut
erunt deliciae, patriæque & Ecclesiæ spes, sic nostrum sunt erunt
que gaudium, nostrum in subeundis laboribus calcar, nostra fu-
turi corona die illo *in gloriam magno.*

Verum enim vero plurimorum longe alia est ratio. Non
dicemus nunc de iis, quibus præter externam honestatis speciem
nihil ineft, quod immortalem animam e gratiæ principio ac di-
sciplina deceat ornetque. Sunt, proh dolor! inter vos, *ono-*
stri ciues, qui non tantum sine Deo & gratia, sed etiam sine ra-
tione in diem viuunt, ne quidem naturam, qua cultior est ac ho-
nestior, ducem fecuti. Sunt, quibus summi Numinis contem-
sus in animo, ore, totaque vita; quibus, quo quid est depravatus
& petulantius, immo turpius, eo videtur rectius aut licentius;
qui vernantis ætatis tempus, quo nihil pretiosius, sumtusque pa-
rentum, disperidunt; qui litterarum studia, quorum causa huc
missi sunt, negligunt, saltem ita tractant, ut impietate potius,
quam doctrinis proficiant; qui e disciplina paterna ac institu-
tione scholastica cum crudis studiis longe crudiorem huc attulerunt
animum, moresque effeminatoris ac corruptissimos, aliorum no-
xie ac pestes; qui popinas, inhonestaque loca frequentiū, certe
auidius, salutant, quam præceptorum suorum scholas; qui nu-
gatorum scenicum audire malent cum risu procaci, quam gra-
uem doctorem cum attentione seria; qui lasciunt, & animum
& corpus foeda infamique libidine polluentes ac destruente;

qui, quando alii dormiunt, immo rursus ad matutina studia sur-
gunt, omni etiam humanitate exuta adhuc colludunt, potant, vo-
ciferantur, & per plateas grassando ac insaniendo boant, rebo-
antque, immo & digladiantur, brutis, quam hominibus, sapientiæ
studio.

studiosis, similiores; qui, dum divina jura concilcant, bonas superiorum leges pro re habent leuicula; qui templa ad audiendum verbum Dei aut non intrant, aut ad eadem non nisi spectatum veniunt, aut ut spectentur: non solum summi Numinis publice cultus, sed externi etiam decori, contemtores proterui, ea, quæ in corde latent, vel linguae petulantia strepitue, vel procaci excursu, omnium oculis exponentes. Longa est multorum impietas, indignissima licentia, intolerabilis *arbitria*, quæ majori etiam legum seueritate refrenanda esset. Nec est, quod publica hæc objectatio vobis videatur immerita: justus est zelus! justus dolor! justissimæ querele! Cur non scribamus publice, quod subinde coacti publice dicimus, & vos, qui tales estis, publice facitare haud erubescitis? Nec ignotæ sunt caufæ nouæ, quæ hunc indignationis affectum ciuerunt. Par hominum deplorandum est, quod præ ceteris haud ita pridem Academiam nostram dedecorauit, nobisque has exprimit, immo extorquet, querelas. O quanta miseria, quanta jaſtura, quanta pernices, corpore & animo, & simul perire! Alter alterum gladio ad locum suum demisit! O vesaniam, ac diritatem, etiam belluina feritate immaniore! O non miserum minus, quam insanum profugum illum ac vagabundum, nec conscientiæ stimulos (quibus tanquam suris istum exagitari, quis negabit?) neque *exclusos* omnipræsentis Dei *opusa*, manusque ejus ultrices, unquam aufugiturum! Carnisicem fugit, ut Deum vindicem eo certius inueniat! Sic qui Deum deferit, ab ipso juste desertus, suoque furori relitus, tandem aliquando justissimas suæ impietatis suorumque flagitiorum poenas dat. Sero olim sapientib[us] Phryges: hodie eheu! ne sero quidem multi studiosorum, & matre & sero desipientes. Sed quid hæc ad nos, ad nos reliquos, qui trucidauimus neminem, ab huj[us] particidii culpa immunes? Hæc fortassis tacita est multorum objectio. Sane per omnem modum hæc multum ad vos! ad vos, quorum indolem corruptissimam, moresque propudosos modo delineauimus! ad vos omnium ordinum ac facultatum studiosos degeneres! Multi enim istis duobus, si vita *atra&fusca* spelemus, nihil sunt meliores, quidam fortassis etiam diores. Vestram ipsorum conscientiam appellamus! Vos vestrimet judices constituiimus. Testibus quid opus est, ubi reatus est manifes-
stus?

stus? Vestros lascivientium quot mores actusque, tot testes habetis, omni exceptione majores, qui vobis quidquam negaturis aut extenuaturis contradicendo in faciem responfant. Quod quidam a cæde hactenus absuerint, averruncanti summo numini est acceptum ferendum, non iplorum moderationi, que potius nulla, certe exigua fuit. Quid? quod *avroxigias* species sit, libidine infami, turpique *dæmonia* ingens Dei donum, corporis sanitatem, destruere, ut de nece animarum hic nihil dicamus. Utinam deessent, qui, aliorum animas aliquando per Verbum Dei servaturi, non suas ipsorum nefarie occiderent, aliarum etiam, quantum ex ipsis, latrones futuri; immemores, non minus, immo multo adhuc magis ab animarum, quam corporum, cæde manare sanguinem, feuerissimæ vindictæ postulatorem, secundum illud Dei fulmen, Ezechielis ore quod intonat: *Sanguinem, sanguinem ipsorum de manu tua!* Quis non cum horro recordatur ferociissimos istorum ausus, qui ne post tragicum quidem casum ad extutam humanitatem redierunt, legum ac discipline contemtores efferi. Sed nescitis, quid seru vesper vehat. Dissoluti mores feueriorum legum, cause erunt. Nec enim feret Fridericana nostra ejusmodi dedecora. Abeant illi, quocunque velint, certe nullum in lectionibus nostris impietatis & *dæmonias*, fæcē pabulum inventuri. Liberabitur animam nostram; dicemus porro, quod verum, quod justum, quod salutare, & ab ea, quæ pasci solet mala mens, levitate, alienum est. Qui blandum sapientie & salutaris gratiæ jugum detrectaverit, habeat sibi, suæ ipsius vel fortunæ vel infortunii potius faber. *Uti enim quisque sementem fecerit, ita & metet,* sero tandem exesurus, quod sibi ipsi intriverit.

Interea vero, ipsius Dei *paxqodnulav* imitati, inflamus rogando, obtestando, menendo, cohortando. Agnoscite, o nostri, vestram rem, vestramque salutem agi. Audite nos, ut etiam Deus vos audiat. Redite cum Deo in gratiam; in gratiam, salutiferam illam, quæ in Christo illuxit; & uti nunquam non, sic præcipue hisce diebus festis, Christo nato sacris, per universam Ecclesiam solenniter refonat. Percepistis supra, quanta sit hujus gratiæ magnitudo, quanta scopi, quem intendit, grauitas & sanctitas. Pandite, quæsumus, corda pulsanti gratiæ pandite fores, ut intret Dominus Zebaoth, summa verendum majestate! ut intret per gratiæ pediam; ut corda vestra sibi parer in hospitium, repurganda ab impietate & effrenibus hujus mundi cupiditatibus. O beatos illos, qui hoc festum ita transfigent, ut cum præcipitis anni fine simul peccandi faciant finem, diuturi ex vero: *Vetera preterierunt, ecce nova facta sunt omnia!*

P. P. in Fridericana Academia ipsiis feriis Nat. Domini cœ*15* Icc X.

Litteris Chr, Henckelii, Acad. Typ.

Ja 3010

Nur für den Lesesaal! (1)

ULB Halle
001 874 462

3



5b

VD 18



WMA

WT.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

5

Farbkarte #13

PRORECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
GEORGIUS ERNESTUS
STAHL,
MED. D. EJUSDEMQUE ET RERUM
NATURAL. PROF. PUBL. ORDIN. ATQUE
ACAD. NAT. CUR. COLLEGA,
una cum
PROFESSORIBUS RELIQUIS
CIVES ACADEMICOS
AD
FERIAS NATALITIAS,
pie celebrandas,
OMNES AC SINGULOS
decenter hortatur. e.